



## **Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio**

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt  
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

Constitutiones Variorum Pontificum in præcedentibus Editionibus  
desideratas, summoque studio hinc inde conquisitas complectens

**Luxemburgi, 1741**

5. Romani Pontificis &c. Bulla contra Hibernicos Prælatos qui Lambertum  
Symnell prætensum de jure, de Facto in Regem coronarunt: anno 1488.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74452](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74452)

ANNO  
1488.V.  
Ex. Arch.  
Angl. Rimer.  
Tom. XII.  
Pag. 332.

Bulla contra Hibernicos Prælatos qui Lambertum Symnell præsumptum de jure, de Facto in Regem coronarunt: anno 1488.

INNOCENTIUS EPISCOPUS.

*Servus Servorum Dei, Venerabilibus Fratribus Casselensi, & Tuamensi Archiepiscopis, ac Clochorensi, & Ossoriensi Episcopis, salutem & Apostolicam Benedictionem.*

Romani Pontificis providentia circumspecta ad ea libenter intendit, per quæ excessus & crimina per Ecclesiasticas personas præsertim Pontificali dignitate prædictas, quæ omni debent carcere macula vitiorum & alios eorum bonis operibus & exemplis ad bene vivendum & suis Principibus obediendum inducere & à rebellionibus ac seditionibus præcavere, debite puniantur, ut alii, hujusmodi exemplo ducti, à similibus de cætero studeant abstinere. Nuper siquidem ad nostrum non sine maxima animi nostri perturbatione pervenit auditum, quod Venerabiles Fratres nostri Octavianus Armachanensis, & Valterius Dublinensis, Archiepiscopi, ac Johannes Midenensis & Modernus Darenensis Episcopi, nescitur quo Spiritu, nisi maligno, ducti, monitionibus, mandatis, & inhibitionibus per nos contra novos tumultus in Regno Angliæ moventes, seu moveri facientes, aut paci, & tranquillitati dicti Regni contravenientes, nec non carissimo filio nostro Henrico ejusdem Regni Regi illustri & Hiberniæ Domino inobedientes sibi que Rebelles, Factis, ac Sententiis, Censuris, & pœnis contra eos promulgatis, contemptis, proprio postergato honore, Deique Timore postposito Hostibus & Rebellibus præfati Regis adherere, ac opem consilium, auxilium & favorem præstare non erubuerunt, quinimo, quod pejus & abominabilius est, ad magis perturbandum quietem & tranquillitatem dicti Regni quemdam puerum, de illegitimo thoro natum, & quem Filium quondam Ducis clarentiæ fore falso confingebant, in ipsius Regni Regem ausu temerario quamvis de facto erexerunt & coronarunt, quem præfatus Rex, Victoria potitus jam in manibus suis habuit, Crimen læsæ Majestatis committendo, nec non sententias censuras, & pœnas prædictas damnabiliter incurrendo, in non modicum ejusdem Regis præjudicium, & detrimentum, pacis & quietis Regni & sui Domini Hiberniæ prædictorum perturbationem animarum suarum periculum, dignitatis Pontificalis opprobrium perniciosum quoque exemplum & scandalum plurimorum. Nos igitur, volentes desuper, antequam majora scandala sequantur, prout ex debito Pastoralis tenemur Officii, debite providere, & eosdem Archiepiscopos, & Episcopos, juxta suorum

exigentiam demeritorum comperta veritate punire.

ANNO  
1488.

Fraternitati vestræ, de qua in his & aliis specialem in Domino fiduciam obtinemus, per Apostolica scripta committimus & mandamus, quatinus vos, vel duo vestrum per vosmetipsos, de præmissis omnibus auctoritate nostra vos secreta diligenter informetis & inquiretis. Et quicquid desuper comperitis, id totum nobis per processum vestrum, vestris, vel duorum vestrum sigillis signatum, ad nos per proprium nuncium quem quantocius destinabitis fideliter significare curabitis. Ut exinde, omnibus diligenter examinatis, de Consilio fratrum nostrorum sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium secundum Canones & Decreta Sanctorum Patrum contra eosdem Archiepiscopos & Episcopos debite procedere possimus. Super quibus omnibus & singulis vobis, quoad hoc, plenam liberam, & omnimodam harum serie concedimus facultatem. Non obstantibus Apostolicis, nec non in provincialibus, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus & ordinationibus ceterisque contrariis quibuscunque. Vos autem in hujusmodi negotio ita accurate, diligenter, fideliter & prudenter, prout de vobis confidimus vos gerere studeatis, quod apud nos, & hanc sanctam sedem non immerito possitis commendari.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quadringentesimo, octuagesimo septimo, non. Januarii, Pontificatus nostri anno quarto.